

id confirmaret, quod observâsse se *Honoratus Fabri* profite-
tur alleg. I. num. 7. guttas nimirum eas, quæ nullas habeant
bullas sensibiles, non crepare fracto licet nostro, neque diffi-
lire abscissâ licet ejusdem rostri extremitate, si fortè nullæ ver-
sus illam bullulæ occurrant (cujus oppositum tamen nobis
cum *Dn. Montanario & Redi* similes casûs persuaferunt) pla-
ceret sanè facilitate & simplicitate sua Honorati hypothelâ,
(quam eandem *Vossio* tribuit & præ aliis probat *Monconysius*
alleg. p. 152. Part. II. Itin.) in hoc uno consistens, quòd aër in
bullulis illis conclusus, ex calefactione præcedanea valdè ra-
rus, tensus ac levis, externum ponderosissimum per apertas
colli bullas impetu maximo irruentem facillimè admittat,
atque adeò per innumeras bullarum commissuras illam ede-
re stragem patiatur: dummodo de bullarum commissuris &
correspondentibus meatibus certiùs constaret & experimen-
tum *Dn. Redi* vigesimum, quod supra num. XIII. commemo-
ravimus, scrupulum non injiceret.

XV. Neque minus ingeniosa est *Robaulti* deductio
eodem fundamento tensorum intus & contractiorum extus
vitri partium nixa, sed alio modo tamen illationis probabili-
tatem ipsi superstruens. Dum enim exteriores lachrymæ
partes in ambiente liquore citiùs frigescunt ac indurantur
contractis in angustiam poris suis, interiores contra, ab indu-
rato exteriorum fornice non ampliùs pressæ non ita contra-
huntur sed poros servant laxiores & amplos, ita ut in medio
sint amplissimi omnium, versus superficiem autem grada-
tim minutiores; hinc, ait, quæ priùs per extimos suos tum in
ambitu, tum etiam ad fracturam extremitatis in rostro vel
cauda subtilioris, poros adhuc angustissimos non nisi exilissi-
mas materiæ subtilis minutias admiserat lachryma, effractâ
crassiusculâ caudæ parte, per meatûs in medio ampliores, e-
jusdem materiæ parte majores affatim intromittit, quæ iti-
neri insistentes cum celeritate versus extimæ crustæ sensim
angustiores poros cum impetu delatæ non possunt non un-
dique